

27.

C. B. D.
EXERCITATIO ACADEMICA.
D.E.

JURE. ILLIUS. CU.
JUS. PECUNIA. CRE-
DITOR. ALTERIUS.
FUIT. DIMISSIONIS.
QVAM.

AUTORITATE. INCLU-
TÆ. FACULTATIS. JURIDICÆ.
IN. UNIVERSITATE. ARGENTO-
RATENSI.

PRO.
IMPETRANDIS. HONORIBUS.
DOCTORALIBUS.

SOLENNITER. PROPONIT.


HENRICUS. BORNIUS. LIPSIENSIS.

Ad diem 1. Octobr. Ann. M. DC. LXVIII.

LIPSIAE.

Typis, ANDREÆ, MARTINI, SCHEDIL.
1717.

-408 3 864



C. B. D.
Exercitatio Academica,
De
**JURE ILLIUS, CUIUS PECUNIA
CREDITOR ALTERIUS FUIT DIMISSUS.**

CAPUT I.

Introitus. *Jus dimittentis alterius Creditores est quodammodo exorbitans. Quid sit dimittere explicatur. Dimissus dicitur tum cui immediate solutum, tum cui mediante debitore. Requisita hoc casu observanda recensentur: In quibus & hoc, quod secundus Creditor ista destinatione mutuo dare debeat, ut exinde primo satisfiat. Solvi potest primo Creditori invito debitore. Respondet objectioni. Dimittes stricte loquendo non dicitur, qui alterius Creditori ejus negotia gerendo solvit.*

A 2

I. Due

Duo sunt principia Juris Civilis, quæ cum ratione naturali satis solide convenientur, quorum alterum est, obligationum & conventionum naturam hanc non esse, ut aut corpus aut jus aliquod nostrum faciant, sed ut alium nobis adstringant ad dandum aliquid, vel faciendum vel præstandum *l. 3. pr. de Ob. & Act. l. 20. C. de pact.* Alterum, id, quod nostrum est, sine facto nostro alterius fieri non posse *l. II. ff. de R. I.*

II. Ab utroque discessum quodammodo fecerunt leges, quando jus illius, cujus pecunia creditor alterius dimittitur, statuerunt Sanctum quippe est a legumlatribus, non tantummodo eum, qui solvit alterius creditori privilegiato, statim in jus ejus, cui solutum est, debere succedere *l. 24. §. 1. ff. de Reb. auth. jud. poss. l. 2. ff. de Cess. bon.* sed etiam eum, qui debitori mutuam dedit pecuniam, ad hoc, ut hypotecarius dimitteretur, pactusque est, ut in posterum ipse hypothecam istanc habeat, dimisso hypothecario non volente modo, sed etiam invito, in locum ejus subintrare; *vid. infr. cap. 3. & seqq.* atque sic aliquem Jus alterius invito eo sola conventione acquirere posse.

III. Jus hoc dimittentis Exercitatione Academica hac vice, & dum promeritrusum honores Doctorales, exequi destinavi, quod & dignum hoc instituto meo fuerim arbitratus, & a paucis sit hactenus expositum ex professo. Ante omnia autem dicendum mihi erit, quis dimittere dicatur; Et quidem dimittere alterius creditorem est alterius creditori quounque modo satisfacere eo animo, & intentione ista, ut ipse dimittens

mittens in locum dimissi transeat, sive satisfactio solutio-
ne, sive compensatione, sive novatione, sive accepti-
latione, sive alia ratione, qua perimi potest obligatio,
atque debitum & creditum, contingat, vid. tt. Inst.
quib. mod. solv. obl.

IV. Nec refert, an immediate solvatur, an medi-
ate, ita ut debitori versuram facienti pecunia credatur,
ut exinde Creditori satisfiat, debitorque postmodum
realiter numeret istam pecuniam. textus disertus est in
l. 24. §. f. ff. de Reb. auth. jud. pos. l. i. C. de his, qui in por-
tred. loc. succed. verbo transit. l. 2. ff. de Cess. bon. verbo per-
veniat. Ex quibus locis omnibus, & verbis ibid. ge-
neralibus: *transit perveniat*, colligi potest, nihil dis-
ferre (ad hoc, ut dimissus quis dicatur) quomodo per-
veniat ad Creditorem, sive immediate sive mediante
alio dummodo perveneatur. Franzk. Com. ff. tit. qui pot.
in pig. num. 63. 64.

V. Tum autem, quando non immediate, sed
mediante debitore, versuram faciente, & ut satisfaciat
priori creditori, mutuam pecuniam accipiente credito-
ri satis sit, ut dimissio a posteriori facta dici possit, duo
necessario requiruntur: 1. ut secundus creditor ea fini,
quo priori satisfiat mutuo det, nec sufficiat, si pecunia
simpliciter, & absque hac destinatione mutuo data post-
modum priori solvatur. 2. Ut revera postmodum a
debitore priori numeretur. Quod ad posterius nemo am-
bigit; sed prius dubio carere non videtur propter allegat. l.
24. §. 3. de Reb. auth. jud. pos. Cujus verba. Pervenisse autem
quemadmodum accipimus utrum, si statim profecta est ab
inferioribus ad privilegiarios? an vero si per debitoris
personam, b. e. si ante ei numerata sit, & sic debitoris
facta

facta creditori privilegiario numerata est? Quod quidem benigne potest dici, si modo non post aliquod intervallum id factum est. Cum ergo in ibi hujusmodi pacti, ut creditori priori solvatur, nulla fiat mentio, necessarium haud putaverunt Magni JCTi, *Ant. Faber in C. lib. 8. lit. 9. def. 1. & B. Carpz. p. 1. C. 28. def. f. 134.* in id creditam esse pecuniam ab eo, qui posterior contraxit, ut priori creditori solvatur, sed sufficere, pecuniam posterioris ad priorem pervenisse, dummodo non ex intervallo. Enim vero, quod pace tantorum virorum dictum sit, non hunc, sed quem tradidit Gothofredus. Parens *ibidem in notis sub lit. P.* textus hujus genuinum sensum esse, puto. Statuit autem d. l. Gothofredus, destinationem secundi creditoris hoc casu semper esse necessarium, sed, si de destinatione non satis constet, in dubio eam præsumi tum, quando pecunia a secundo creditori numerata statim post numerationem primo fuerit soluta, non autem præsumi, si ex intervallo solutio facta. Et est insuper ratio in promptu, sc. quod privilegium illi non debeat tribui, qui ipse cum contraheret, nullum privilegium, sed solum mutuum, & sic debitum saltem chirographarium intendit, *Fac. buc. Franzk. in Com. ad ff. tit. qui pot. in pig. n. 64. verb. in hunc finem. vid. aliter hec decidentem Babov. ad Treutl. V. 2. d. 24. tb. 6. lit. D. sub verb. idque & in personalibus.*

VI. Dimisisse etiam alterius! Creditorem ad hunc effectum, ut in locum ejus succedat, & sic contra debitorem actionem dimissi habeat, dicitur ille, qui invito debitore priori creditori solvit. Licet enim alias qui pro invito solvit, ab eo quicquam repetere nequeat, *l. 53. ff. Mandat. l. ult. C. de Neg. ges. & qui pro altero prohi-*

prohibente expensis facit, illum sibi oblogare haud possit, sed donare præsumatur, l. *liserius* 27. §. sic *livam* 25.
ff. ad L. Aquil. Anmadvertendum tamen est, jura allegata loqui in terminis negotiorum gestorum, & saltem doc negare, quod actio negotiorum gestorum regulatiter contra gerere prohibentem competere debeat. Cum itaque is, qui creditorem alterius dimittit, non tam alienum negotium gerat, quam suum, l. 12. §. 6. ff. qui pot. in pig. & potius hoc agat, ut sibi jus aliquid, aut nomen quoddam acquirat, huncque dimissionis actum lex ita informaverit & approbaverit, ut per eum acquirere aliena nomina possis, facile liquet, ea, quæ de negotiorum gestione in LLus sancita sunt, hoc non recte applicari.

VII. Pater ex his esse entia requisitum dimissi-
 onis nostræ, in specialissimo significatu juridico accepta,
 esse & hoc, ut dimittens id sibi semper habeat propo-
 situm, ut, non debitoris negotia gerat, sed suum agat,
 atque sibi prospiciat de aliquo novo jure acquirendo, &
 ni hoc factum fuerit, nunquam in iura dimissi succedit,
 sed tanquam simplex negotiorum gestor solam actionem
 negotiorum gestorum (positis tamen cæteris terminis
 habilibus) habebit, arg. l. 12. §. 6. ff. qui potius pign.

CAPUT II.

Transitus. Credere quid significet, explicatur. Di-
 versa qualitas Creditorum, & secundum hanc di-
 versus ordo eorundem recensetur. Qui sub uno
 quoquo ordine secundum Ius SAXON. Electorale,
 continantur, ostenditur.

I. Sed

Sed cum de jure alterius dimittentis solide disseri non possit, nisi curate discernatur, tum qualis sit creditor, qui dimittitur, tum qualis sit is, qui dimittit, & utrum nimirum ipse quoque creditor sit debitoris, pro quo solvit, aut extraneus, & si creditor sit, an sit chirographarius, vel privilegio munitus, vel hypothecarius? e re erit diversa diverlorum creditorum jura recensere.

II. Stricte credendi verbum sumtum ad solam mutui causam refertur, & sic creditores dicuntur, qui pecuniam mutuam dederunt. *Nov. 4. cap. 2. l. obliquari. 9. p. ff. de Ant. Tut. l. 3. §. 3. ad Sct. Maced. l. ejus 41. ff. de R. Cr.* Et similiter debitores sunt proprie, qui pecuniam mutuam acceperunt. *l. ii. C. sicut. pot. l. 5. §. 3. de O. & A.* Sed porrigitur creditorum & debitorum appellatio etiam ad alios contractus & obligationes *l. 10. 11. 12. ff. de V. 5.* Imo amplius generali credendi & debendi hac appellatione res nostræ ex causa commodati, depositi, locati, pignoris penes alios existentes creditæ & debitæ dicuntur, *d. l. 10. vers. ex quacunque actione vel persecutio- ne l. 1. ff. de R. Cr.*

III. In lato hoc significatu creditores considerati commode distingui possunt in hypothecarios & non hypothecarios, utriusque in privilegiatos & non privilegiatos; Privilegiati vicissim in eos, qui privilegio simplici, & istos, qui singulari prærogativa gaudent ita, ut omnibus omnino præferantur. Quæ ipsa distinctio coincidit cum ea, qua hodie ubique fere, ad institutum Serenissimi Electoris Saxonie in Conf. 28. p. 1. & in Ord. Proc. tit. 42. Creditores in quinque classes discernuntur, & ponuntur quidem in classe prima, illi, qui singulari præro-

prærogativa præ aliis gaudent; In classe secunda Credidores, qui præter hypothecam ex privilegio quoque personali jus habent prælationis; in tertia illi, qui ex hypotheca, arresto, vel immissione judiciali jus reale consecuti fuere; in quarta privilegio personali simplici muniri, & in quinta denique Chyrographarii. Hunc ordinem, & quidem ad ductum allegatarum legum Saxoniarum Electoralium, dum, pro instituti ratione, breviter jura Creditorum refero, sequar.

IV. Siogulari prærogativa ex dispositione Ord. Proc. Elect. Saxon. quam solam, ut dixi, sequar hac vice gaudent 1. Domini res suas vindicantes, l. i. C. de priv. fisc. l. i. C. ad l. Iul. d. vi priv. l. 31. §. 1. ff. de R. Cr. Ord. Proc. Elect. Sax. tit. 42. impr. Berl. p. 1. concl. 64. n. 18. Carpz. P. 1. Conclit. 28. def. 13. seqq. 2. Is, qui in re vendita, antequam eam traderet, aut sane in ipso actu traditionis, sibi hypothecam, donec integrum pretium solidum fuerit, reservavit, scilicet quoad rem hanc talem venditam, l. 5. 8. 17. ff. de trib. act. O. P. E. S. Tit. 42. §. do auch einer etwas verkauffet etc. 3. Illi, qui jus reale impetraverunt in re, antequam ad debitorem ea veniret. Carpz. d. l. def. 22. O. P. E. S. d. l. §. Gleiche Meinung hat es auch etc. 4. Merces famulorum pro certa mercede servientium & in ædibus convictuque debitoris viventium O. P. E. S. d. l. §. nechst diesem etc. Carpz. d. l. def. 25. 5. Impensæ erogatae tum infuneratione debitoris, tum in morbo eo, quo morte fuit extintus, O. P. E. S. d. l. §. ferner Carpz. d. l. def. 39. 6. Tributa, item Decimæ, annuique redditus & census ad sustentari onem Clericorum destinati, O. P. E. S. d. l. §. desiggleichen etc. Carpz. d. l. def. 47. seqq. 7. Pecunia, ex rei alicujus

venditione certis terminis solvi promissa, sed residua,
O. P. E. S. d. l. §. Ferner etc. in fin. Notandum vero est
privilegiatos hos creditores, quos ex dispositione Juris
Electoralis Saxonici, tanquam prærogativa singulari gau-
dentes in classe prima collocari, dixi, non conjunctim,
pro rata portione, sed isto, quo designavi, ordine suc-
cessive credita sua capere, cum scilicet iura non habe-
ant paria, sed alterum præ altero sit potentius, quod
non obscure verba: Nechst diesen / ferner / und dann /
etc. a Serenissimo Legislatore *in sapius alleg. tit. 42. O.*
P. S. usurpata indigitant, & servat id prais fori ac Tri-
bunalium, Carpz. d. C. 28. def. 12.

V. Præter hypothecam ex personali privilegio
jus prælationis habent, atque adeo ad classem supra no-
minatam secundum referri debent. 1. Mulier ratione
dotis, hæc quippe omnibus [creditoribus, qui non ex-
pressam anteriorem habent, præfertur, *O. P. E. S. tit. 43.*
in pr. d. Conf. 28. vers. und nach diesem etc. 2. Fiscus,
quatenus ipsi ex contractu aliquid debetur, haec tenuis
enim præfertur etiam anterioribus hypothecariis omni-
bus, non quidem in bonis indifferenter omnibus, sed
iis tantum, quæ debitor acquisivit, postquam cum Fi-
scō tontraxit, *Ord. Proc. Elecēt. Sax. tit. 43. vers. desgleichēn etc.*
l. 28. ff. de l. Fisc. quod jus prælationis Fisci
non procedit in pœn's Fiscalibus d. vers. desgleichen etc.
per l. 28. ff. de l. Fisc. l. unc. C. pœn. fisc. cred. pref. 3. Il-
le, qui ad refectionem vel conservationem domus, vel
alterius rei pecuniam mutuo dedit, quandoquidem &
is hypothecariis in re ista præfertur, *O. P. S. d. l. vers.*
mansi auch etc. l. l. ff. in quib. caus. pign. l. hyp. Tati. l. 5.
ff. qui pot. in pig. 4. Is, qui ad emendam domum
aliaro.

48 11 48

aliamve rem pecuniam mutuo dedit, & ut pro pecunia illa mutuo data res emta pignori sibi esset, pepigit. O. P. S. d. l. ver. Allo wann etc. Carpz. p. 4. Inst. 28. def. 197.

VI. Circa Creditores in hac secunda classe relatios, si simul & semel concurrent, tria maxime probe attendi debent. Et quidem 1. scilicet collocandos esse eos, secundum ordinem temporis, quo quis hypothecam suam nactus est, v. c. si fiscus contraxerit cum debitore priusquam duxit ipse uxorem, uxor ratione do-tis fisco erit posterior; in matrimonium contractum futuris ante debitum fiscale constitutum, uxor Fisco erit prior. O. P. S. d. t. ver. wann sie aber etc. Carpz. d. l. def. 63. 2. In dubio & si non constet de certo tempore impetrata hypotheca uxorem esse priorem categoris, ceteros autem sibi invicem non preferri sed pro rata solutionem impetrare. O. P. S. d. l. ver. wann man aber etc. 3. Privilegiarios in prima classe recensitos, subinde his intelligendos esse superiores.

VII. Tertiam classem occupant hi, qui jus reale impetraverunt Jus reale hic nomine, quod competit scilicet 1. ex hypotheca eaque tam tacita, quam expressa. 2. Arresto. 3. ex immisione judiciali. O. P. S. tit. 44. Inter hos obtinet regula: Qui prior est tempore, potioris quoque est jure, cap. qui prior. de R. I. in 6. l. 2. l. 8. 10. 11. 12. ff. qui pot. in pign.

VIII. Personalii privilegio simplici muniri, & in quartam classem collocandi sunt illi, qui equidem neque jus reale neque prærogativa ista, qua in prima & secunda classe relati gaudent, interim tamen ex pecuniari legi dispositione hoc habent, ut chirographiis nudis præferantur. Horum in Ord. P. S. recensentur quatuor.

quatuor: 1. Deponentes, quorum res depositae amplius non extant. 2. Debitora alimentorum. 3. Pecunia sine stipulatione usurarum mutuo data. 4. Pretium rei venditæ non solutum, puta illud quod non distinctis temporibus sed una vice solvi debuit illud enim quod distinctis temporibus solvendum est, alia prærogativa gaudere diximus. Arque hi omnes absque prærogativa temporis simul pro rata (si non sufficiant debitoris bona) solutionem impetrant.

IX. Simplices denique chirographarii sunt, quibus nec ius reale, nec privilegium ullum compostit, a chirographo, quo plerumque solo nituntur, dicti. In his eminent illi, qui pecuniam sub usuris mutuam dedebunt. O. P. S. tit. 50. & in his iterum, nulla temporis aut alia prærogativa attenditur.

CAPUT III.

Agitur de jure ejus, qui dimisit hypothecarium. Interest hic an dimittens sit & ipse Creditor, an non: & si Creditor an hypothecarius, an non hypothecarius. Extraneus & non hypothecarius succedit in actione personali non iure reali. Nisi expresse pacatum desuper fuerit interpositum. Pacisci autem ita potest dimittens tam cum Creditore invito debitore, quam cum debitore invito Creditore. Removentur dubia. Pacisci debet dimittens de successione non tantum in pignus sed etiam in locum prioris. Respondetur dissentientibus. Quo tempore pactum hoc sit in eundem. Ius hypothecarii dimittentis. Hypothecarius hypothecarium dimittens, ipso jure sine ullo pacto, in ejus locum succedit, & habet contraria soluti-

*solutionem acceptare nolentem jus offerendi. Quod
ius offerendi non habet extraneus aut chirographa-
rius habent tamen hi, si possideant rem hypothecatam
jus retentionis. Hypotheca fasci in dimittentem a-
liter non transit, nisi interveniente autoritate ju-
dicali. Sicut hypotheca in feudo quæsita in dimis-
tentem aliter, quam consensu Domini in foro Electo-
rali Saxonico transferri non potest.*

I.

IAm in specie agendum est de juribus eorum, qui al-
terius Creditores dimiserunt, sed cum supra dictum
sit, multum interesse qualis creditor sit, qui dimissus est,
separatim quoque de singulis; Et quidem hoc capite agam
de eo, qui dimisit Creditorem hypothecarium.

II. De hujus iure cum queratur, ante omnia dis-
tingui debet, an solverit creditor ejusdem debitoris, an
extraneus, (i. e. qui Creditor non est) &, si Creditor
an hypothecarius, an non hypothecarius. Quando ex-
traneus aut non hypothecarius solvit, succedit quidem
ipse sine ulla prævia cessione in actionibus & juribus di-
missi personalibus, sed non simul in jure hypothecario,
nisi expresse de eo fuerit conventum confirmatur hoc
assertum ex l. i. C. de his qui in pr. Cred. loc. suc. ubi Seve-
rus & Antonius Marcellinae hunc in modum rescribunt:
Non omnino succedunt in locum hypothecarii Creditores his,
quorum pecunia ad Creditorem transit. Hoc enim tunc
observatur, cum is, qui pecuniam postea dat, sub hoc pa-
cto credat, ut idem pignus ei obligetur, & in locum ejus
succedat.

III. Loqui hanc legem tantum de extraneo & non

B 3

hypo-

hypothecario patet ex l. 1. C. qui pot. in pig. l. 22. C. de pign.
isque, quæ afferentur inferius b. cap. 3. Dicit autem tex-
tus, non omnino succedunt, i. e. non per omnia, non
in solidum succedunt, ut ostendatur, quodammodo et-
iam extraneum & non hypothecarium succedere, scili-
cet ut dicere præoccupavi, in actionibus & juribus di-
missi personalibus. Et habet ergo etiam citra omne
pactum & conventionem hic talis dimittens non tantum
actionem istam principalem quam dimisus Creditor pro
imperando suo credito habuit, puta, conditionem cer-
ti ex mutuo, si ex mutuo ipsis debitum fuit, actionem
emti, si ex emto &c. l. 2. ff. de Cess. bon. sed etiam acti-
onem Paulianam l. 10. §. 1. l. 10. ff. de bis que in fraud. cred.
al. item privilegium prælationis, l. 24. §. 3. ff. de Reb. auth.
jud. poss. Jac. Cujac in par. Cod. tit. de bis qui in prior. Cred.
loc. succ. & lib. 18. Obs. 40.

IV. In hypothecam (idem ex identitate rationis
dicendum arbitor de jure reali ex immissione judiciali
& arresto saxonico competente) extraneus & creditor
non hypothecarius aliter non succedit, nisi sub hoc pa-
cto debitori credat, aut creditori solvat, ut idem pi-
gnus lib. obligetur, & in locum ejus succedat, d. l. 1. C.
de bis, qui in prior. Cred. loc. succed.

V. Circa pactum hoc dispiciendum est; cum quo
cum sit in eundum, tum, quid continere debeat; tum
denique, quo tempore sit interponendum. Quod ad
primum attinet, iniri, id potest tam cum debitore, quam
cum Creditore, ita scilicet, ut si solvas creditori, quod
ipsi debetur, possis illico cum eo pacisci de successione
in jus ejus, & si credas debitori versuram facienti, pos-
sis pacisci cum eo, ut in posterum tu locum antterioris
Credi-

Creditoris sub in tres, d. l. i. C. de bi qui in prior. **Cred. I.**
Aristo. 3. ff. que res. pign. l. hyp. dat. obl. non pos. l. 12. §. 8. ff.
qui pot. in pign. Carpz. p. 1. C. 28. def. 135. n. 1. A. Faber in
C. lib. 8. tit. 9. def. 4. n. 1. Neguzant. de pign. part. 5. membr.
3. Bacch. de pign. lib. 4. cap. 17. Frantz. in Com. ff. qui pot.
in pig. Imo amplius, procedit hoc in tantum, ut possis
invito & ignorante debitore solvere creditori, ac paci-
scendo ipsius jura impetrare, & viceversa, ut possis crede-
re debitori ad hoc, ut creditor alius dimittatur & locum
eius sub in tres invito isto creditore & ignorante. Carpz.
d. l. def. 133. n. 1. 2. 4. Ant. Faber. d. l.

VI. Et quidem neque Creditor sic anterior, qui
 dimittitur, nec debitor patitur injuriam. Non Credi-
 tor, quia is, id, quod sibi debetur, per solutionem, quam
 invitus accipere cogitur *l. 21. ff. de R. Cred. I. debitor. 30.*
ff. de solut. consequatur, atque ejus nihil intersit, an ali-
us locum ejus in pignore subintret, an vero minus; Non
debitor, quia nulla nova hypotheca constituitur, sed jus
quæsitum jam saltem in alium transfertur, quia scil. hy-
potheca, quam nanciscitur dimittens, est eadem numero
cum illa, quam habuit dimissus, Bacchov. de pign. lib. 4.
c. 18. Sicut ergo nullus debitor prohibere potest, quo-
minus Creditor jus crediti per cessionem in alterum
transferat, ita nec conqueri potest, si hoc modo mutatio
Creditoris contingat, Franzk. corn. ff. qui pot. in pign. n. 78.
 Plane, quando prædicto modo primus creditor hypothecarius dimittitur, inque locum ejus dimittens suc-
 cedit, debitor autem plures Creditores habeat, respectu
 secundi aut tertii id dubium superesse videtur, quod eo
 casu, quo solutio sit per debitorem, eodem contingat si-
 mul ut & liberetur res hypothecata a prioris Creditoris
 pigno-

pignore, & secundi pignus confirmetur, semel autem quæsumum jus postea debitoris pactionibus auferri non possit, l.f. ff. de pact. Sed responderi debet, extraneum, quando hac lege, ut jus primi Creditoris in se transferatur, pecuniam numerat, ex assistentia legis sua conventione pignoris liberationem antevertere atque jus primi non extingui. *Hottom. in Com. ad Cod. tit. de bis, qui in prior. Cred. &c.* Insuper & secundo Creditori, exinde nullam fieri injuriam, quoq; eadem maneat illius conditio, quæ erat priusquam præ edens dimitteretur.

VII. Hactenus de iis, cum quibus pactum nostrum iniri deber, jam ulterius videndum, quid continere id debeat. De hoc textus, in l. I. c. de bis, qui in prior. Cred. ita constituit: *Hoc enim tunc observatur, cum is, qui pecuniam possea dat, sub hoc pacto credat, ut idem pignus ei obligetur, & in locum ejus succedat.* Duo ergo membra, duas partes hujus parti sunt, scilicet pacisci debet dimitiens 1. ut idem pignus sibi obligetur. 2. Ut in locum dimissi succedat, atque hoc non saltem traditum est totidem fere verbis in l. 12, §. 8, ff. qui pot. in pign. ibi: & paciscitur tecum, ut id in premium ei pignori hypothecæ sit & locum ejus subeat. Verum approbat quoque communis pene Doctorum schola tam antiquorum, quam recentiorum, vid. Azo in summa Cod. tit. de bis qui in prior. cred. &c. Placentinus. Cynus. Br. Bl. Salicet, in l. I. c. d. tit. lac. Cujac. in par. Cod. ibid. Hottom. in Comment. Cod. eodem. ubi ait: duas conventiones esse necessarias, ut extraneus in prioris locum succedat, & posteriori præferatur; Prior est, ut nominatum hypotheca contrahatur, altera, ut ea lege pecunia detur, ut locum prioris Creditoris subire licet, Pac. in Analyss. Cod. §. 3, n. 2. Perez. in C. d. tit. n. 4. Neuguz. de pign. p. 5, m. 3. A. Faber. in C. lib. 8. tit. 9, def. 2, n. 3. Carpz. p. 1. C. 28. def. 133 n. 3.

VIII. Dis-

VIII. Dissentiant ab hac thesi nostra Doctores quidam, & alii quidem; quos interest. Mudæus de pign. & by-potb. tit. quib. mod. pign. vel hyp. solb. n. 73. Franzkius in Com. ff. tit. qui pot. in pign. Bachovius de pign. c. 15. pactionem de pignore ad successionem in prioris locum indefinite sive cum creditore sive cum debitore initam sufficere neque conventionem de successione in locum necessarium esse Alii, vid. A. Faber d.l. def. 4. n. 3. seqq. pactum de pignore non quidem cum debitore, bene tamen cum priore Creditore initum satis esse. Alii denique, vid. Gloss. ad sepe d.l. t. C. de his, qui in prior. Cred. &c. Ant. Fab. d.l. def. 3. n. 4. pactum de pignore omitti posse, sufficereque in genere pactum de successione in locum prioris statuant. Sed quicquid illi deum sentiant, inherendum erit verbis legum, qua, ut dicimus, ex professo hunc articulum executæ sunt, & requisita supra memorata conceptis verbis tradiderunt, idque eo magis, cum totum hoc negotium successionis in locum priorum Creditorum, ut supra innui, præter regulas communes ex peculiari legis dispositione procedat; cum & insuper rationes, quibus dissensus eorum nititur, tanti non sunt, ut contra ius expressum movere nos possint. Palmaria est Franzki, Mudæi & Bachovii, qui allegant l. 3. ff. que res pign. obl. non pos. In qua JCTus, secundum Creditorem non aliter in ius pignoris succedere, etiamsi antecedens creditor pecunia ejus dimissus sit, nisi convenerit, ut sibi res eadem esset obligata: atque sic nihil amplius quam conventionem de succedendo in pignus, non etiam simul de succedendo in locum prioris desiderat, adjecturus procul dubio si quid aliud necessarium putasset. Sed dici potest h. l. 3. supplendam esse ex l. 1. C. de his, qui in por. Cred. loc. suc. in qua Imperatores, ut dixi, proposuerunt sibi requisita recensere, quod testantur

verba; hoc tunc observatur &c. Allegat' quoque pro stabili-
enda sententia sua Franzkius l. creditor 3. pr. ff. qui pot. in pign.
sed species illius omnino diversa est, tractatque casum tales:
Sejus Titio centum creditum acceptis certis pignoribus, pura
fundo Tusculano, dehinc idem Titius a Cajo mutuam su-
mit pecuniam, eique eundem illum fundum, quo caverat
Sejo, obligat: contracto ita inter Cajum & Titium pigno-
ris nexus, Sejus stipulatione interposita novat creditum suum,
repetito tamen in novatione pignore. vid. Franzk. tit. qui
pot. in pign. n. 61. & additis eidem pignoribus aliis. Definit
post hæc solvendo esse Titius ita, ut bona ejus veneant, &
credитores super prioritate certent. Atque adeo jam quæruntur,
quis prior si in fundo Tusculano, Sejus an Cajus? Re-
spondet JCtus superioris temporis ordinem manere primo
Creditori, & sic Sejam esse priorem. Ratio dubitandi pro
Cajo moveri poterat ista, quod novatione interposita Sejus
perdiderit jus pignoris primum quæstuum, & sic prioritatem
præ Cajo. p. l. 18. ff. de Novat. sed satisfacit huic dubio JCtus
dicendo, primum Creditorem, (Sejum) eo ipso, quod re-
petierit in novatione pignus primitus constitutum, licet il-
lud subtilitate juris videatur extinctum, in suum locum pri-
strinum successisse, quia nimirum pignus in novatione repe-
titum, intelligitur repetitum cum privilegio temporis &
prioritatis. Barb. & Gloss. ad b. l. in summa. vide ad eandem
la. Cujac. in recit. posth. ad Papin. lib. II. Resp.

IX. Discutiendum restat circa pactum nostrum, quo
tempore illud sit interponendum? De hoc inquit textus l. l.
C. de his qui in prior Cred. loc. suc. &c. cum is, qui pecuniam
postea dat sub hoc pacto credat. Debet ergo interponi pa-
ctum hoc statim illo ipso tempore, quo creditor alterius
dimittitur, aut minimum brevi post cum dimissus est, cum
ea,

ea, quæ statim sequuntur negotium, intelligantur eidem in
esse, arg. l. 40. ff. de R. Cr. Carpz. d. l. def. 135.

X. Atque sic satis de eo, qui dimisit Creditorem hypothe-
thecarium alterius, cum esset ipse aut extraneus, i. e. non
creditor, aut tamen chirographarius, vel, sine hypotheca
personalí privilegio munitus. Dicendum jam est de hypo-
thecario, qui conceditorem hypothecarium vult dimittere.
Huic prospectum est, l. 1. C. qui pot. in pign. ibi: *Qui pignus se-
cundo loco accepit, ita jus suum confirmare potest, si priori Credito-
ri debitam pecuniam solverit, aut, cum obtulisset, isque accipere
noluerit, eam obsequiari et depositum, nec in usus suos convertit.*

XI. Lege hac duo continentur: 1. hypothecarium
ereditorem, si concreditori suo, etiam hypothecario, solvar,
ipso jure in locum ipsius succedere ita, ut nulla cessione,
aut de succedendo neque in locum neque in pignus prioris
conventione opus sit. *Gloss. in l. Ariss. 8. ff. que res pign. obl.
Br. ibid. n. 1. Salicet. in l. 1. C. de bis, qui in por. Cred. loc. suc.
Carpz. p. 1. c. 28. def. 133. n. 49. Franzk. ad ff. tit. qui pot. in
pign. n. 57.*

XII. 2. Hoc in casu, si prior iste creditor sponte re-
cipere solutionem detrectet, jus offerendi competere po-
steriori ad hunc effectum, ut oblatione rite facta statim di-
missus prior censeatur & (sine ullo pacto desuccedendo)
posterior in omnia ejus jura plenissime transeat. l. 22. C. de
pign. Gail. lib. 2. obs. 91. Brunneman. ad d. l. 1. C. qui pot. in pign.
E ibi allegat. Iac. cujac. in Recit. ad cod. d. l. Ita si Respublica
contraxit, fundisque ei sit obligatus secundus Creditor of-
ferens ei pecuniam in jus Respublicæ succedit. l. ult. c. de
bis, qui in prior. Cred. loc. succed. & hoc in tantum proce-
dit, ut etiamsi res hypothecata a debitore creditori vendita
sit, nihilominus secundus creditor priori offerre possit. l. 1.

100 20 100

C. & antiquor. cred. &c. Mantic. de Tat. & ambig. content. lib. II. tit. 28. n. 2. seqq. Mercur. Merlin. de pign. lib. 4. quest. 43. num. 9. Cum tamen posterior priori non tam acquirendi dominii, quam servandi juris sui causa debitum offerat, aut sane offerre censeri debeat poterit, eidem vicissim a debitore offerri. l. 6. ff. disbr. pign.

XIII. Extranei & chirographarii aut etiam personali privilegio muniti, jus offerendi nequaquam habent ad hunc effectum, ut ipsi per hoc hypothecariorum in locum transcent, l. 5. c. de solv. Mercur. Merlin. d. l. quest. 46. Sane si Creditor non hypothecarius rem pignoratam ex alia causa possideat, potestis agenti hypothecario debitum offerre atque ipsum modo actione hypothecaria excludere, nec interest, sive justus sit possessio sive injustus. l. 12. §. 1. ff. qui mod. pign. vel hyp. solv. ibi: qualiscunque possessio. Nam simul atque hypothecarius suum recipit, non debet amplius querere de jure possessoris. Mercur. Merlin. d. l. quest. 65. In eo tamen differunt justus & injustus possessio, quod justus potest, ubi hypothecario satisfecit, eum ad hoc adstringere, ut cedat jura sua, injusto autem tale quid non competit. l. 19. ff. qui pot. in pign. cujac. lib. II. Obf. 35. A. Faber in cod. lib. 8. tit. 10. def. 3.

XIV. Insuper potest Creditor non hypothecarius aut etiam extraneus, qui hypothecario absque prævio pacto solvit, si in possessione rei hypothecata constitutatur, jure retentiois sibi consulere, non tantum adversus debitorem, sed etiam secundum creditorem, donec ei refundatur pecunia, quam priori creditori exsolvit. l. 1. pr. ff. quib. mod. pign. vel hyp. solv. Perez. d. l. num. fin. cujac. ad d. l. pr. A. Fab. lib. 8. tit. 9. def. 7.

XV. Notandum hic probe est, ea, quæ supra hoc capite

capite de successione in jus hypothecarii, pacto interposito
imperanda, dicta sunt, de solis Creditoribus privatis exau-
dienda esse, non de successione in hypothecam. Eiseo com-
petentem, hanc enim, ut imperare possis, sola conventio
privata non sufficit, sed hypotheca fisci necessario autoritate
judicis debet transferri, l. 3. l. f. c. de priv. fisc. l. 45. §. 9. ff.
Eod. l. II. c. de fidejuss. cujac. lib. 18. Obj. 40. Et in Recit. Cod. ad
tit. de priv. fisc. Pacius in Analyss. cod. tit. de his, qui in por.
cred. loc. suc. §. 3. n. 2. Franzk. ad ff. tit. qui pot. in pign. n. 88.
Trentl. V. 2. D. 24. th. 6. lit. D. Et ibi, Bachov.

XVI. Coronidis loco addo, quod cum de jure Ele-
ctorali Saxonico per novissimam Decisionem, 40. hypothec-
a in feudo constituta cedi alii, nisi consensu Domini feudi,
non posset, vix aliter dimittens hypothecarum feudalem
jura ejus imperare queat, quam si Domini feudi autoritas
intercedat.

CAPUT IV.

*Jus dimittentis privilegiatum. Transit hic citra omnem
conventionem aut cessionem. Respondetur dubio. Idem
obinet in privilegiis fisci, quod in preparatorum. Di-
mittens fiscum solvendo tributa non interveniente
judiciali translatione hypotheca, contra tertium pos-
sessorum jus agendi nullum habet. Privilegia soli ant
potissimum persona, non eque causa data ad dimissum
non transeunt.*

I.

Capite superiori tertio actum est de jure ejus, qui dimit-
tit hypothecarium, agendum nunc est de eo, qui dimit-
tit privilegiatum.

II. Privilegium hoc tale, ut patet ex capite secun-
do, vel simplex personale est, vel singulari prarogativa mu-

nitum, circa utrumque tenenda est regula: Qui dimisit Creditorem privilegiatum, si succedit in illius locum & privilegium, etiam citra omnem conventionem aut cessionem, l. 24. §. f. ff. de Reb. aut. Ind. poss. l. 2. de Cess. bon. Carpz. p. 1. Const. 28. def. 134. Coll. Iur. Arg. tit. de Reb. aut. jud. pos. sub rubr. de priv. Cred. t. b. 33. num. 5. Franzk. in Comment. ff. tit. qui pot. in pign. n. 86.

III. Duxi successionem hic fieri citra omnem conventionem, atque sic ex sola potestate legis ita disponentis, cui non obstat, quod supra, capite primo, afferui, scil. cum, qui debitori versuram facient mutuo dedit pecuniam, in alterius jus aliter non transire, nisi ea destinatio dederit mutuum, ut exinde dimittatur prior creditor, licet enim exinde pactum de succedendo necessarium esse colligere aliquis velit, solida tamen ratio consequentia nulla potest ostendti; neque enim destinatio ista est pactum de succedendo, neque sic argumentari licet: Hac expressa conditione mutuum dedi debitori, ut creditor aliis dimitteretur, ergo etiam pactus sum, ut succederem in locum dimissi.

IV. Cum autem supra ostenderim, in hypothecam fisco, competentem succedi non posse, nisi auctoritate judicis, merito hic querendum est, an etiam ad transferenda Fisci jura & privilegia personalia auctoritate judicis opus sit, an potius ad instar privatorum jurium eadem transeant? Disceptatur super hoc contrariis votis inter Hieronym. Treutlerum Vol. 2. Disp. 24. thes. 6. lit. D. & Jacob. Cujacium lib. 18. Observ. 40. Et Treutlerus quidem non minus hic, quam in hypothecis auctoritatem judicis intercedere debeare censer, contra Cujacius, quem sequitur Gothofredus in l. ult. c. de priv. fisc. in verbo in te. auctoritatem judicis non desiderati statuit. Sed cum l. 2. c. de cess. bon. & cetera jura genera-

generaliter loquantur, leges vero a Treutlero allegatae de reali hypothecæ jure agant, merito cum Cujacio transeō idque eo magis, quod in Tribunalibus Patriæ meæ sententiam ejus receptionem sciam. *Bach. ad Treutl. d. I. Ferdin. Arias de Mesa lib. 2. Resol. cap. 20. n. 17. seqq. Franzk. lib. 1. Res. 14. n. 16. & seqq.*

V. Noto ex his traditis, quod si quis fiscum, tributa forte ab alterius ædibus exigiem, pecunia sua dimiserit, neque transferri in se fecerit hypothecam judicis autoritate, posse quidem eum Dominum istarum ædium, ut restituat, convenire, sed si ad tertium possessorem illæ perveniant, contra eum jus agendi nullum competere.

VI. Plane, si privilegia personalia, quæ in favorem solius personæ data sunt, & non simul intuitu cause putaverim eadem in dimittentem non transire, scilicet cum nec concessionarium transeat. Sic privilegium, quod in cursu creditorum uxori & liberis ejus competit in dote repetenda, per l. 12. §. 2. c. qui pot. in pign. non transit ad cessionarium. *carpz. add. const. 28. def. 95. Bach. ad §. 29. I. de Act. Berl. p. 1. concl. 65. n. 105.* adeoque nec transibit in dimittentem, cum jus Cessionarii potentius sit, quam jus dimittentis.

CAPUT V.

Jus dimittentis chirographarium. Dimittens chirographarium succedit in ejus actionem & cætera jura personalia. Dimittens si solverit usuras, barum usurrum alias usuras petere non potest.

I.

Restat tandem, ut agatur de jure ejus, qui dimisit chirograrium. De hoc ponenda regula talis: Qui dimisit

484 888

misit chirographarium, succedit in actionem cæteraque
jura chirographario competentia.

II. Duxi in actionem chirographario competentem.
Quod si ergo chirographario ex mutuo debitum fuerit, ha-
bet dimittens conditionem certi ex mutuo, si ex locato
actionem locati. *vñd. supr. c. 3. n. 3.*

III. Duxi cætera jura chirographario competentia,
qualia quæ sint tetigi supra c. 3. n. 3. & nimurum sunt jus
revocandi ejus, quod in fraudem Creditotum est alienatum
L. 10. §. 14. 16 ff. que in fraud. cred. &c.

IV. Generaliter hic observandum est, quod si di-
mittens fortem cum usuris solverit dimillo (cujuscunque
ille conditionis sit, sive hypothecarius, sive privilegiatus si-
ve chirographarius) recte quidem ipsum vicissim cum forte
usuras petere, sed non usuras usurarum. *L. 12. §. 6 ff. qui
pot. in pign. ubi ratio. Franzk. lib. 2. Refol. 10.
n. 26. Berl. p. 2. concil. 268. n. 3.*

S. D. G.



01 A 66.80


ULB Halle
003 105 547


3



561

VDA





27.

C. B. D.
EXERCITATIO ACADEMICA.
D.E.
**JURE. ILLIUS. CU.
JUS. PECUNIA. CRE-
DITOR. ALTERIUS.
FUIT. DIMISSUS.**

QVAM.

AUTORITATE. INCLU-
TÆ. FACULTATIS. JURIDICÆ.
IN. UNIVERSITATE. ARGENTO-
RATENSI.

PRO.

IMPETRANDIS. HONORIBUS.
DOCTORALIBUS.

SOLENNITER. PROPONIT.
HENRICUS. BORNIUS. LIPSIENSIS.

Ad diem 1. Octobr. Ann. M. DC. LXVIII.

LIPSIAE.

Typis. ANDREÆ. MARTINI. SCHEDII.

1717.

